

π n
3713



1. K.
107,
7



1. K.
107,
7

II n
3713

2. D. B. V.
DISSERTATIONEM
DE

N O M I N E
WESTPHALIAE

SVB PRÆSIDIO
CASPARIS SAGITTARII D.
HIST. P. P.

Publico eruditorum examini exponet
ANTONIUS *Shöne*
Susato-Westphalus.



I E N Æ

Typis IOHANNZACH. NISI
cl5 15c LXXXVI.

N. 8. 8.



1176.

DISSERTATIONEM

DE

OMNIBUS

WESTPHALIA

SUB PRÆSIDI

CASPARIS SAIGITTARI

FIST. P. P.

Publico ex officio examinavit

ANTONI



pen Th 3713, QK

F. E. W. A.

In typis

in





SVMMARIVM.

I. *Westphalia nomen* II. *compositum*, III. *Germanicum*. IV. *non descendit a Vesta*. Laus Cl. Winckelmanni. V. *Prima syllaba est a vento West*. VI. *Germani provinciis a ventis nomen imposuere: quod exemplis firmatur*. VII. *De Austria & Austrasia*. VIII. *Novae lites de regno Austrasiae. Elogium opt. Scriptoris de hoc regno*. IX. *Regnum Austrasiae & Austrasium. Franci Austrasii. Regnum, Militia, Manus, Reges, Duces Austrasiorum. Australes Franci*. X. *Austria pro Austrasia*. XI. *Auster pro Austrasia*. XII. *An Austrasia ab Austro vento ducta?* XIII. *Non: sed ex Ost corrupta. Hinc Orientalis Francia, & Franci Orientales dicta*. XIV. *Item Superiores Franci*. XV. *Et Osterlandi*. XVI. *Austrasiae opposita Westerlandia, Westria, Westrasia, sive Westraschia. Et ex his corrupta Neustria*. XVII. *Hoc est regnum Francorum occidentale*. XVIII. *Neustria etiam Neuster Nustria, Niustria, Neuster, Neustrasia, Neptria & Neptricum appellata*. XIX. *Ejusque incolae Niustrii, Neustrasii & Neustrasii dicti*. XX. *Recentiorum consensus: nempe Aventini, Rhenani, Reineccii, Goldasti, Grotii, Broweri, Valesii, Du. Fresne*. XXI. *Francisci de Rosieres fictitius Rex Austrasius exploditur*. XXII. *Austria & Neustria etiam in Longobardico regno locum habuit*. XXIII. *Gothi in Ostrogotos & Westrogotos divisi. Ostrogothia; Westrogothia. Osterjytland, Westerjytland*. XXIV. *Thuringia Australis, Osterlandia. Norc Thuringia*. XXV. *Recensus multarum vocum propriarum ab Ost, West, Sud & Nord incipientium. Osterfalt, Ostrogard, Ostenda, Osterach, Osterburgum, Osterfelda, Osterhofa, Osterhusa, Osterroda, Ostertonna, Osterwikum, Osterwitzium, Osthemium, O-*



denwalda ex Osterwalda corruptum. XXVI. Westerwaldia, Westburgum, Westcappel, Westernitium, Westgreufa, Westhofia, Westmünster, Westarfolda, Westtrachia. XXVII. Pagus Sudergou, Sudercopinga, Sutherlandia, Sudbury, Sudenburgum. Sundgovia, Sunderburgum, Sund-Rhembda. Surlandia, Surgelderfen. Sudeti montes. XXVIII. Normannia, Normanni, Norwegia, Noricum, Norda, Nortburgum, Northufa, Nortlinga, Northemium, Nortstranda. XXIX. Oceani secundum quatuor cardinales ventos divisio. Ost-Frisia, West-Frisia. Ostergovia, Westergovia, Austrebandia, Testerbandia. XXX. Westphalis oppositi Ostphali, sive Osterlingi. Hierant Saxones Orientales. XXXI. Qui & Austrelendi sive Austreleudi, item Aufrasi dicti. XXXII. Septentrionales Saxones vocati Nortluidi: XXXIII. Et Nordalbingi: eorumque sedes dicta Nordalbingia. XXXIV. Westphalia significat terram ad occidentem, Ostphalia ad orientem sitam. XXXV. Vox Westphaliae diversimode scripta. Westfalai. XXXVI. Quid sibi velit vox Falai. Hec ridiculum etymon a Flavis. Fale pul- lus equinus. Unde sic dictus. An a subrufo colore? XXXVII. A quibusdam hoc refertur ad equum Saxonie veteris insigne. Equus quomodo in Ducum Brunswico-Luneburgensium & Archiepiscopi Coloniensis insignia devenit. XXXVIII. An hoc Saxonicum insigne ab Hengisto & Horsto? XXXIX. An Phali sint, qui Ptolomeo Chali dicti. XL. Modeste ab Illustri Con- vinzio dissensum. XLI. An Fal ex Feld corruptum: ut Westphali sint Westfelder. XLII. Negatur: quia vox Feld vocalem non mutavit. XLIII. Forte a Wallen/ peregrinando, nominati. Walli sunt extranei. Hinc forte Wallones sive Walones. Aliud etymon Wallonum. An Phali olim dicti focii? XLIV. An Westphalia dicta quasi Westwaldia? Germania olim syl- vis horrida. Nomina ex Wald composita XLV. Quando Westphaliae nomen natum. Fortassis tempore Regum Franco- rum. An Westphali dicti quasi Westfideles? XLVI. De pago Westphaliae. Westphalia in plures pagos distincta, quorum aliqua reeensentur.

I. West-



ESTPHALIA, Germaniæ nostræ provincia variis dotibus florentissima præstantissimaque, unde hoc nominis contraxerit, diu quidem est, quod quæsierint eruditi: sed quia post illorum messem relictum nobis putamus spicilegium, quod denuo hoc agamus, nemo, spero, nobis vertet vitio.

II. Compositum esse vocabulum inter omnes constat, nec quemquam esse reor, qui contrarium voluerit asserere. Multo minus pro voce primitiva habuerimus: utpote qui in his germanica pleraque (si non omnia) monosyllaba esse existimamus.

III. Germanica, inquam, sic comparata, eoque ipso Westphalicum nomen ex lingua patria sumtum credimus. Quo ipso statim indicamus, ab illis nos discedere, qui Westphaliam ex lingua quavis alia nomen accepisse arbitrantur.

IV. Si qui tamen sunt horum, pauci sunt: nec memini me apud quemquam fidei auctoritatisve probatæ scriptorem legisse, quod à *Vesta* Latinorum Dea Westphalicæ denominationis petendæ sint origines. Etsi enim Vir amplissimus, ac de Westphalica historia optime meritus, Johannes Justus Winckelmannus in *Notitia Historico-politica veteris Saxo-Westphaliæ, finitimarumque regionum* lib. I. cap. VI. hujus meminit sententiæ, tantum tamen abest, ut eidem subscribat, ut potius in alia omnia abeat, ac perinde uti nos, Westphaliam pro vernacula voce habeat.

V. Ceterum ut ad rem accedamus propius, quin princeps in vocabulo Westphaliæ syllaba, designet ven-

tum occidentalem, quem Latini *Favonium*, & a Græcis mutuata appellatione *Zepbyrum* nuncupare solent, nulli prorsus dubitamus.

VI. Enimvero solenne fuit Germanis nostris, juxta quatuor mundi plagas, atque ex his orientes ventos, tum majores provincias, tum minora terrarum spacia dividere, & ex hac divisione iisdem terris ac provinciis nomina imponere. Ex quibus nominibus licet nonnulla per temporum injuriam interierint, longe tamen plura adhuc superesse, tum optima multarum rerum magistra docet experientia, tum illustribus aliquot exemplis hoc ipsum confirmabimus.

VII. Initium faciemus ab *Austria*: non, quæ hodie illud nomen obtinet (quamquam ex eodem fonte id fluxisse certum sit) sed quæ temporibus Francorum ex Merovingico ac Pipingico sanguine oriundorum Regum, ita vocabatur, & fere sub *Austrasia* nomine magis inclaruit.

VIII. Et quis est, qui nesciat, quam nostra hac ætate ad antiquum illud & pridem extinctum *Austrasia* regnum nonnulli cœperint respicere? qui tamen quale illud olim fuerit, quibus circumscriptum limitibus, & unde traxerit nomen, fortean cum ignarissimis ignorant. Atque utinam Germani omnes cum cura legerent, quæ excellens ille scriptor, qui sub *H.G.C.D. Francopolita* persona voluit latere, de regno *Austrasiæ* commentatus est: cujus scrinia uti compilare nolimus, ita tantum, occasione nunc ita ferente, in natales hujus nominis, ac inde derivatam significationem inquiremus, eoque simul Westphalico nomini aliquam lucem foenerabimur.

IX. Au.

IX. *Austrasia* vocem apud antiquiores historiae Francorum scriptores reperimus saepius, pro qua etiam apud Aimonium lib. IV. cap. XII. *Regnum Austrasium* inveneris. Hujus regni incolae *Franci Austrasii*, & simpliciter *Austrasii*, item *Australes Franci* dicebantur. Atque hinc est, quod porro Fredegarius Scholasticus cap. LXXIV. LXXVI. & LXXXVIII. ut & Aimoinus lib. III. c. LXXXIV. lib. IV. cap. XVII. & XIX. *Regnum Austrasiorum*: ac idem ille Aimonius lib. III. cap. XCVIII. lib. IV. cap. I. *Militiam Austrasiorum* advocent. Sic Nithardus *de disensionibus filiorum Ludovici Pii*, lib. III. *Partem haud modicam Austrasiorum*, ac iterum Aimoinus lib. III. cap. XCII. *validam Austrasiorum manum* memorat. Ab eodem Aimoino lib. II. cap. XXV. lib. III. cap. XXVIII. Theodebertus & Childebertus; a Monacho Egoismensi *in vita Caroli Magni*, Childericus, *Austrasiorum Reges*, a Nithardo lib. II. Adelbertus *Dux Austrasiorum* salutantur. Porro Aimoinus lib. III. cap. XIV. inquit: *Universi Austrasii Childebertum puerum in regnum sublimant patris*: & lib. IV. cap. VIII. *Clotharius Dagobertum filium super Austrasios Regem instituit*. Auctor Fragmenti *de Majoribus Domus Carolum Martellum* nuncupat *Principem Austrasiorum*: Pipinum, Aimoinus lib. IV. cap. XX. *unum de potentissimis Austrasiorum*. Denique *Australium Francorum* meminit Auctor vitae Ludovici Pii: cujus verba afferam: *In eadem villa, Franconoford scilicet, Imperator byeme exacta Majo mense, conventum habuit Australium Francorum, Saxonum, aliarumque gentium eis collimitantium*.

X. *Austriam* autem pro *Austrasia* afferunt Fredegarius cap. XLIII. XCIII. XCIV. XCV. XCVII. C. *Gesta Fran-*

Francorum epitomata cap. xxxvii. xli. xlii. xlv. xlviii. liii.
 Auctor Fragmenti *de Majoribus Domus*, Monachus Ego-
 lismensis in *vita Caroli M.* Theganus *de gestis Ludovici*
Pii Imp. cap. xxii. Aimoinus lib. i. cap. v. lib. iv. cap. i.
 ii. xiv. xvii. xxxvi. Auctor Annalium Fuldensium ad an-
 num 1000. Regino Prumiensis *Chronicor.* lib. i. ad an.
 1000. Sigebertus Gemblacensis in *Chronographia* ad
 an. 1000.

XI. *Qvin & Auster* non raro solet vocitari. Frede-
 garius cap. xvi. *Theudebertus sortitus est Auster.* c. xxxviii.
Theudericus cum jam totum Auster dominaret. cap. xl.
Chlotbarius factione Arnulfi & Pipini Auster ingreditur.
 cap. xlii. *In Auster Rado hunc gradum honoris adsumsit.*
 cap. lii. *Cum Dagobertus jam utiliter regnaret in Auster.*
Ceteris prioribus sublimatis in Auster. cap. liv. *Godinus*
ad Dagobertum Regem perrexit in Auster. cap. lvi. *Da-*
gobertus universis leudibus, quos regebat in Auster, jubet
exercitum promovere. Missos in Burgundiam & Auster
direxit. cap. lviii. *Dagobertus tanta prosperitate regale*
regimen in Auster regebat. cap. lix. *Cum Dagobertus Au-*
ster regio cultu circumiret. cap. lxxv. *Dagobertus Sige-*
bertum filium suum in Auster regnum sublimavit. cap.
 lxxvi. *Auster vero coaevans.* cap. lxxxiii. *Ermenfredus*
in Auster fecit confugium. cap. lxxxv. *Nec parvum do-*
lorem ejusdem (Pipini) transitus cunctis generavit in Au-
ster. cap. cx. *Carolus (Martellus) primogenito suo Ca-*
rolomanno nomine Auster & Svaviam tradidit. *Gesta*
 Francorum epitomata cap. xxvii. *Teudoaldus autem*
Rex filius Teutberti Regis in Auster agrotans febre valida
mortuus est. cap. xxxii. *Gandoaldus Dux in Auster fu-*
git. cap. xxxv. *Childibertus Rex in Italiam abiit, rur-*
 sum.

sumq; eam ad partem Auster, quam ipse regebat, adquisi-
vit. cap. XLII. Dagobertus Sigibertum majorem filium su-
um in Auster direxit. cap. XLV. Franci in Auster propter
Childericum legationem mittentes accommodant. - Vulfo-
aldus per fugam vix evasit, in Auster reversus. cap. XLVI.
Decedente Vulfoaldo de Auster, Martinus & Pippinus
dominabantur in Auster. cap. XLVII. Ermenfredus ad Pip-
pinum in Auster fugiens evasit. cap. XLVIII. Pippinus in
Auster consurgens. Fragmentum de Majoribus Domus:
Pippino in Auster Dux mortuo.

XII. Jam facile quis haberet suspicari, Austriam &
Austrasiam, quæ & Auster (ut vidimus) dicta, ab Austro
meridiano vento nomen accepisse, eoq; has voces ter-
ras designare ad Austrum, sive meridiem vergentes.

XIII. Verum res se habet aliter, ac corrupta hæc
sunt vocabula ex germanico Ost/ quod Franci clariori
sono Aust/ pronunciarunt: quo pacto Auster, Austra-
sia & Austria non significant terras ad Austrum sive me-
ridiem, sed ad orientem solem sitas. Atq; hinc est,
quod Austrasia, quandoque Orientalis Francia, item
regnum Orientale, & Osterlandia, ejusque incolæ Franci
Orientales, ut & Superiores Franci, nec non Ostro-Franci
& Osterlandi audiant. Charta Ludovici Regis Lotha-
ringiæ, in Glossario Caroli DuFresne in voce Austria:
Data VI. Idus Maji anno Dom. Incarn. 878. anno III.
Ludovici in Orientali Francia regnantis. Regino Chro-
nicor. lib. II. ad ann. DCCCLXXVI. Ludovicus exercitum ex
Saxonia, Thuringia, & Orientali Francia congregat. Fran-
corum Orientalium aliquoties meminit Eginhartus in
Annalibus Adelmo vulgo tributis. Sic ad annum
DCCCLXXVIII. Rex ex templo Francos Orientales atq; Ale-
mannos

mannos ad propulsandum hostem festinare iussit. Et ad
ann. 1555. Rex Adalgiso Camerario & Geiloni -- pre-
cepit, ut sumptis secum Orientalibus Francis atq; Saxo-
nibus contumacium Sclavorum audaciam comprimerent.
Item ad annum 1555. Facta est trans Rhenum apud
Orientales Francos adversus Regem immodica conjuratio.
Ac iterum anno 1556. Saxones & Orientales Franci
expeditionem in Sorabos Sclavos facere iussi. Idem an-
1557. Mense Maio conventus habitus, in quo non
universi Francie primores, sed de Orientali Francia atq;
Saxonia, Bajoaria, Alemannia, atque Alemannie conter-
mina Burgundia, & Rheno adjacentibus regionibus ad-
esse iussi sunt. Auctor Annalium Francorum Fulden-
sium ad annum 1558. Imperator (Ludovicus Pi-
us) Hludovico filio suo regnum Orientalium Francorum
interdixit. Et ad ann. 1559. Principes & Optimates re-
gni filium ejus Hlutharium super se regnare cupientes
ad Hludovicum Regem Orientalium Francorum patruum
ejus in Franconofurt eum adducentes.
XIV. Idem procul dubio sunt superiores Franci Ai-
moino memorati lib. III. cap. XII. Collectis, inquit, supe-
rioribus Francis Austrasiis, collecto etiam suorum ad-
jumento, contra fratrem aciem dirigit. Vbi vox Au-
strasiis glossema videtur esse ex margine forsan in tex-
tum admissum. Gesta Francorum epitomata cap. XXVII.
Regnum ipsius (Teutberci) in superiores Francos in Au-
ster Teudoaldus filius ejus accepit. cap. XXXVI. Burgun-
diones & Austrasi, superiores Franci simul commoti. Sed
hic iterum sive Austrasi, sive superiores Franci viden-
tur abundare. Alioquin Aimoinus superiores Francie
partes pro Austrasia expressit lib. IV. cap. XX. perinde ac
Egin-

Eginhartus in Annalibus ad ann. 1300000000. *Orientales regni partes.*

XV. Ceterum patria Francorum lingua *Osterlandos* vocitatos, qui Latine *Orientales Franci* audirent, diferte tradit Auctor Fragmenti de Majoribus domus: *Confluebant ad aulam ipsius universi optimates cunctorum Orientalium Francorum, quos illi propria lingua Osterlandos vocant.* Freherianus codex habet *Osterleudos*: & in margine *Osterlingos*. Annales Francorum Metenses ad ann. 1300000000. *Pipinus Orientalium Francorum, quos illi Osterlandos vocant, suscepit principatum.* Sic Metis, in charta Ludovici Regis supra laudata, *civitas Osterlandie* dicitur.

XVI. At vero hæc Osterlandia, quæ voces *Auster, Austriam & Austrasiam* peperit, ita fuit nuncupata, respectu *Westerlandie, Westrie, Westrasie, sive Westrachie*, hoc est, partis regni Francici ad occidentem sitæ. Non equidem diffiteor, vix hodie amplius reperiri singula jamjam citata, ex voce *West* composita; attamen ex his natum esse vocabulum *Neustria*, nulli dubitamus asserere.

XVII. Nimirum *Neustria* vocabatur regni Francorum portio ad Occidentem declinans. Auctor vitæ Sigeberti Regis, filii Dagoberti: *Eam partem Francie, quæ vergit ad meridiem & orientem, vocabant Austrasiam: eam quæ vergit ad Aquilonem & Occidentem, vocabant Neustriam.* Paulo aliter Aimonius lib. I. cap. V. *Has omnes provincias dum Franci occupassent, in duas tantummodo partes dividentes, eam quæ Septentrionem versus tenditur, & inter Mosam & Rhenum est, Austriam; illam vero, quæ a Mosâ ad Ligerim usque pertingit, Neustriam vocaverunt.*

XVIII. Synonyma Neustriæ reperias *Neuster, Neustria*

*Stria, Niuſtria, Neauſter, Neuſtraſia, Neauſtraſia, Neptria & Neptricum. Primum habet Fredegarius c. XLVII. Dagobertus retinens ſibi, quod Ardenna & Woſagus verſus Neuſter & Burgundiam excludebant. cap. LV. Cum Pontifices & univerſi proceres regni ſui tam de Neuſter, quam de Burgundia conjunxiſſent. Nuſtriam reperimus in Carmine Abbonis de obſidione Pariſiaca urbis lib. I. *Nobiliusque monaſterium cunctis fait illud Nuſtria quæ refovere ſinu diſcebat in amplo.* Ac iterum eodem libro: *Nuſtria nobilior cunctis regionibus orbis.* Niuſtriam pro Neuſtria habent aliquot codices Fredegarii. Apud eundem Fredegarium cap. LXXIV. legas *Neauſter. Scaram, inquit, de electis viris & fortibus de Neauſter & Burgundia cum Ducibus & Graſionibus ſecum habens.* Idem cap. LXXIX. *Omnes leudes de Neauſter & Burgundia Chlodoveum ſublimant in regnum.* Neuſtraſiæ nomen reperimus cap. CX. Alterum vero ſecundum filium juniorem, Pipinum nomine, Burgundia & Neuſtraſia & Provincia præfecit. In eodem Fredegario exſtat *Neauſtraſia c. LVI. Sed & Neauſtraſia Pontificum & Procerum plurima pars regnum Dagoberti viſi ſunt expetiſſe.* Item *Neptria cap. LXII. Meroveus ſecretius juffu Chlotharii in Neptriam perducitur.* Idem *Neptrici frequentius meminit. c. LVII. Cum regnum Chlotharii tam Neptrici, quam Burgundia a Dagoberto fuiſſet præoccupatum, cap. LXXVI. Sacramentis firmaverunt, ut Neptricum & Burgundia ad regnum Chlodovei aſpiceret. cap. LXXX. Aega inter ceteros primates Neptrici. Facultates plurimorum, quæ juffu Dagoberti in regno Burgundia & Neptrico inlicite fuerant uſurpate. Aimoinus I. IV. cap. I. Chlotharius Meroveum in Neptricum perducit, atque ibi nutriti clementiſſime mandavit. XIX. Hinc**

XIX. Hinc & incolas Neustria, Niuftrios, Neuftrafios, Neauftrafios dictos esse deprehendimus. Fragmentum de Majoribus Domus: Eodem tempore Theodericus Rex occidentalium Francorum, quos illi Niuftrios dicunt, regebat imperium. Fredegarius cap. LXII. *Æga a ceteris Neuftrafis consilio Dagoberti erat assiduus.* Aimonius lib. IV. cap. XL. *Auxilio ei erant Erchinoaldus Dux cum Neuftrafis.* Fredegarius cap. LXXIV. *Quod Dagobertus consilio Neauftrafiorum adeptus prestitit.* cap. LXXVI. *Dagobertus consilio Neauftrafiorum eorumque admonitione firmare dinoscitur. --- Excepto Ducatu Danzileni, qui ab Auftrafis iniquiter abstultus (ablatus) fuerat, iterum ad Neauftrafios subjungeretur.* cap. XC. *Flaochadus cum Clodoveo Rege & aliquibus primatibus Neauftrafis de Parisiaco promovens. --- Ceteri Duces vel Neauftrafii expectantes eventum.*

XX. Quæ hæcenus de Austria sive Auftrafia, ut & Neustria in medium attulimus, quod nempe voces istæ ex Ost & West corruptæ terras orientales & occidentales designent, id quoque jam pridem alii doctissimi deprehenderunt viri: ex quibus nonnullorum verba adducemus. Joh. Aventinus in Nomenclatura quorundam priorum Germanorum nominum Annalibus Bojorum præmissa: *Austria Oriens est lingua Germanorum. Inde Osterreich. Id Orientis regnum. ac iterum: West/ Westen est Occidens. Unde Vestria (Westerreich) occidentale Francorum regnum. Celta in Neustriam corrumpere. Inde conjuncti Vestrogoti, Occidentales Goti: Romani Vessogotos appellant & Vestrios, sive Vestriacos.* Idem Aventinus denuo: *Osterreich / Austerreich / Osterreich / id est, Orientale imperium & regnum. Austriam scriptores Romani nominant.* Idem Annalium

lib. III. Regnum Rhemense, quod & Mediomatricum est, Sigiberto traditur. Portio hujus regni Aquitania, Turones, Germania, Gallia Belgica prima fuerunt. Austriam quoque vocari reperio, sicut superiora Vestriam; hoc Occidentale Imperium, illud Orientale valet lingua Germanica. Etiamnum in usu sunt ea regionum cognomina, a situ & coeli cardine indita. Verum Celtici scriptores ignari linguae Franca, Neustriam, atque Austrasiam, corrupte, ut fit, nuncupant. Beatus Rhenanus Rerum Germanicarum libro I. Teutonica Francia Austrasia quoque nomen habuit: quod vocabulum Gallicani scriba effinxerunt, quum à Francis ipsis dubio procul **Ostrich** vocaretur, id est, orientale regnum. Sicut & Francia Romana, hoc est Gallica, **Westrich** dicebatur, id est, occidentale Regnum. Pro **Westria**, nescio an Galli Neustriam usurparint. A venetis haec nomina sunt deducta. Reinerus Reineccius Praefatione in Poetam Anonymum de Gestis Caroli Magni: *Amba voces linguam Germanicam matrem habent. Nam austrasia est depravatam **Osterreich** / regnum orientale, Neustria, **Westreich** / regnum Occidentale.* Melchior Goldastus Alemannicarum Rerum tomo III. antea dictum, & hic rursus monendum, Franciam Orientalem non illam modo significatam videri, quae hodie ad Moenum amnem celeberrima est, sed tractum etiam Helvetiae & Rhaetiae primae ferme totum, quum illa aetas & ipsum Franciae nomine complectebatur. Hujus partem Rheno imminentem austrasiam vocabant scribae Gallici, veluti Ostrasiam, hoc est, in Orientem versus incolentes. Nam & Ostro-Francos dictos veteribus in Chronicis legimus Francos Orientales, & Teuthonicos, quoniam Germanica maxime lingua uterentur, interiore Francia interim Romana, quod

quod in ea provinciali lingua uti non desissent, quali hodie, Gallofranci cognominati utuntur. --- Nec inani conjectura ducitur Rhenanus, Westriam aliquando dictam Francia partem occidentalem, quae hodie corrupte Neustria dicitur. Quondam enim & Gottbi Germania licet longo intervallo disiti, hisce veluti notis discernabantur, ut qui orientem versus habitarent Ostrogottbi, qui in occidentem Westgottbi dicti fuerint. Ost enim Germanice Eurum, West Favonium significat. Hugo Grotius in elegantissimis ad Procopium aliosque Historiae Gothorum scriptores prolegomenis: Austravia Plinio, id est Oosterau, terra Orientalis ea est, quam nunc Estoniam dicimus, pronuntiatione ad Saxoniam propius accedente, ut mox dicetur. Nam eandem esse Austraviam Plinii, quae nunc, ut dixi, Estonia, olim Estiorum terra, dubitare nos non patitur succinum, quod in Austravia legi dicit Plinius, apud Estios Tacitus, & ipsi Estii in epistola ad Theudericum, Oostryck, quod Latini Austriam, aut Austrasiam scribunt, id est regnum Orientale dictum Galliae populis Mediomatricum regnum, Germanis vero sic appellata Parnonia, parig modo Aestii dicti à Sveonibus qui ipsis ad ortum sunt, Saxone interprete. Nam Orientis vocabulum erant qui Aest pronuntiarent, unde Saxonibus Aestsexia, alii plenius Oost eloquebantur; unde Pytheas apud Strabonem hos dicit Ostiaos, Ostiones, Stephanus; eadem terra Austravia Plinio; ut austrogottbi Topisco, qui vulgo Ostrogottbi. Idem: Neque vero major in his vocabulis facta mutatio, quam cum Latini posteriores ex Westreich Neustriam fecere. Christophorus Browerus Annalium Trevirensium lib. v. Austrasie vocem notationem haud eam certe subjectam, quam vulgus ab Austro



stro vel meridie potius arripit, doceant antiqui rerum Francicarum scriptores, qui incolas Austrasia modo Francos Orientales, modo Gallia interioris respectu superiores dixere. Hadrianus Valesius Rerum Francicarum lib. VII. Austriam vel Austrasiam appellavere Franci partem Gallia ad orientem Solem, meridiemque spectantem, quae Rheno & Mosâ fluminibus continetur, cum Transrenanis gentibus Francicae ditionis: partem ad septentriones occasumque Solis vergentem, quae inter Mosam & Ligerim interjacet, Neustriam vel Neustrasiam, nonnunquam Neptricum vel Neptriam vocavere. Carolus Du Fresne in Glossario: *Austria, austrasia, dicta ea pars Galliae, quae cis Rhenum sita est, quod ad orientem sit respectu Neustriae, quae est ad Occidentem.* -- *Austria igitur ea pars dicta, quae ad Orientem erat, unde Orientalis Francia non semel appellatur, in qua & Metensis civitas statuitur.*

XXI. Nescio igitur, quid in mentem venerit Francisco de Rosieres, qui Austrasiam a Duce quodam, cui nomen *Austrasii* adhæserit, ita vocatam asserit. Licet enim non ignoret, ab aliis hanc vocem accipi de regno Francorum Orientali, atque id etiam arguant sequentia præfationis in tomum IV. *Stemmatum Lotharingiae Ducum*: Alii plane sentiunt, *Austrasie* nomen usurpatum fuisse, quasi Francorum, sicuti dicitur *OstroGothorum, Orientale, & ViseGothorum, regnum occidentale*; tanto pere tamen sibi placet in Duce suo *Austrasio*, ut eundem aliquoties in scenam producat. Nam sic eadem præfatione commentatur: *Franci Lotharingiae Rectores Ducesque constituerunt, in quo Austrasius primus tenuit principatum, a quo cum Clodoveus Rex e vivis excessisset, Austrasia cepit denominationem.* Et initio hujus IV. tomi: *Theo-*

Theodoricus Clodovei Francorum Regis primogenitus, majori Gallia Belgica parte ditatus, quam Austrasius gubernabat, (a quo & Austrasia, ut diximus, nomen cepit) Metim ut plurimum tanquam ejusmodi regionis caput incoluit, indeque Austrasia etiam Metensium Reges sunt nominati. Ac iterum alibi eodem tomo: Austrasius Landonis filius Tongrorum & Brabantia Dux sub Childerico & Clodoveo Francorum Regibus Belgio jura dedit, a quo Austrasia dicta est.

XXII. Hæc autem divisio terrarum in orientales & occidentales cum Austria & Neustria vocabulo non modo in Francicis, sed etiam in Longobardicis Italia locum habuit. Sic enim in legibus Longobardicis edixit Rachi Rex: *Ego divino auxilio fretus Rachi -- dum cum gentis nostræ, id est Longobardorum judicibus, tam de Austria, quam de Tuscia vel Neustria finibus &c.* Et Rex Rotharis lib. II. tit. XXI. lege XXIV. *Si in Istria aut Austria fuerit, amittat ipsa pignora. --- Si vero in partibus Tuscia fuerit.* Item Rex Liutprandus lib. II. tit. LX. leg. XIV. *Si de longinquo sunt, quomodo de Tuscia, vel de Austria.* Ac Pipinus quoque lib. I. tit. XXIV. lege LXXIII. *Hoc damus in mandatis, ut tam in Austria, quam in Neustria perquirantur fugaces.*

XXIII. A Francis & Longobardis ad Gothos nos convertimus, quos in Ostro-Gothos & Westro-Gothos, & corrupte Visi-Gothos fuisse distinctos certum est. Jornandes Episcopus in *de rebus Getticis* cap. XIV. hanc in rem Ablavium quendam, antiquum scriptorem laudat. *Ablavius historicus refert (Jornandem exscribimus) quia ibi super limbum Ponti, ubi eos diximus in Scythia commanere, pars eorum, qui orientalem plagam tenebant, eisque præerat Ostrogotha (incertum utrum ab ipsius nomine, an a loco Orientali) dicti sunt Ostrogotha, residui vero Westrogotha in parte*

C

occi-

occidua. Sic ipse postea Jornandes fine capituli xxiv. *Cuius mortis occasio dedit Hunnis prevalere in Gothos illos, quos dixeramus Orientali plaga sedere, & Ostrogothas nuncupari.* Et initio sequentis capituli: *Westegotha, id est, alii eorum socii, & occidui soli cultores.* Adamus Bremensis de *situ Daniae & reliquarum septentrionis regionum:* Ex ipsis populis Suediae proximi ad nos habitant Gothi, qui occidentales dicuntur, alii sunt Orientales. Verum Westergothia confinis est provincia Danorum, quae Sconia dicitur. --- Deinde Ostrogothia protenditur juxta mare, quod Balticum dicitur, atque ad Birkam. Quam autem haec distinctio in Ostro-Gothas & Westro-Gothas egerit radices, vel ex eo liquido apparet, quod nondum illa plane interierit; quippe qui in regno Sveciae singulares provincias Ostrogothia, ac Westrogothia nomine insignes reperimus. Praeterea Iutiam sive Iutlandiam in Osterjytland, & Westerjytland divisam, Hugo Grotius in Prolegomenis ad Historiam Gothorum annotavit.

XXIV. Ipsam quoque Thuringiam nostram secundum quatuor orbis plagas fuisse divisam, ac Ditmarum Praesulem *Australis Thuringiae* (quae forte ipsa illa, quae hodie sic dicitur Osterlandia, ac nunc Misniae pars est, olim *Orientalis terrae* appellatione clara) multa autem antiqua diplomata *Nort-Thuringiae* sive Septentrionalis, mentionem facere, jam in *Antiquitatibus Thuringicis* ostendimus.

XXV. Quid? quod tot supersint provinciae, urbes, vicinia ac pagi ex quatuor illis plagis denominatae, ut vel sola illa nomina utramque implere possint paginam. Quae nobis nunc succurrunt, cum venia lectoris, afferemus. Ita aevi Carolingico, & forte jam ante, sinus maris Balthici ad Orientem versus dicebatur *Ostersalt*. Eginhartus in Annalibus

bus

bus ad annum 1000. Godefridus limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo, ut ab orientali maris sinu (quem illi Ost arbsalt) dicunt, usque ad occidentalem oceanum, totam Egidoræ fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret. Eadem fere verba reperias in vita Caroli Magni a monacho Egolismensi descripta, ut & in Chronico Reginonis: ubi tamen in editione Pistorii habetur *Hofarsalet*: jamque Gerhardus Johannes Vossius lib. II. de *Vitiis Sermonis*, cap. XIV. observavit, *Ostersalt*, vel *Hostarsalet* legendum. Adamus Bremensis de *situ Dania* meminit civitatis *Russia Ostrogard*. Huc referas *Ostendam* munitissimam urbem Flandriæ maritimam: *Osterach* in ditione Abbatis Salmanswilani: *Osterburgum* oppidum veteris Marchiæ Brandenburgicæ, beati Parentis mei patriam: *Osterfeldam*, in diocesi Numburgensi: *Osterhofam*, in Bavaria inferiori: *Osterbusam*, inter Islebiæ & Alstetum: *Osterrodam*, caput Ducatus Grubenhagici: *Ostertonnam* in Thuringia nostra: *Ostervvicum* in Principatu Halberstadensi: *Ostervvitzium* arcem montanam in Carinthia: *Osthemium* in Franconia. Etiam vir inclytæ memoriæ Bilibaldus Pirckheimerus sylvam *Odenwald* in Palatinatu Rhenano non ab Oddone quodam, sed a Germanico *Ost* derivat. Verba ejus ex epistola ad Beatum Rhemanum perscripta subjicio: *Deceptus est optimus ille amicus noster Celtes, in quibusdam, quem & tu in Oddonis sylva sequeris, cum non ab Oddone, sed ab Oriente Osterwald/ quemadmodum ab occidente Westerwald/ nomen sortita sit.*

XXVI. A vocabulo *West*, non modo *Westerwaldia*, cujus meminit Pirckheimerus, nomen suum contraxit; verum etiam *Westerburgum*, natalitia unius familiæ Comi-

tum Leiningensium domus; ut & arx Oldeburgica ad Hun-
tam fluvium: item *Westcappel*, vicus in Seelandia: *West-
sternizium*, oppidum Moravia: *Westerwickum*, in Sma-
landia Sveciæ provincia: *Westgreusa*, in ditione Comitum
Schwarzburgicorum in Thuringia: *Westbosia*, oppidulum
Hanoviæ Comitum in inferiori Alsatia: *Westmünster*, in
Anglia. Eginhartus in Annalibus suis ad annum 1000. mem-
oratur Danicam provinciam *Westarfoldam*, eandemque
sic describit, *quod sit ultima regio regni eorum inter Septen-
trionem & Occidentem sita, quæ contra Aquilonem Britan-
niæ summitatem respiciat.* Consentientem ad eundem an-
num habet Reginonem, nisi quod *Westerfald* appellet.
Idem lib. 1. Chronicorum *Westræckia* meminit, in quam
Carolus Martellus venerit, eamque suæ ditioni subjecerit.

XXVII. Vocem **Sud** deprehendas in veteri pago
Sudergou, cuius meminit Auctor vitæ B. Ludgeri, in *Suder-
copinga*, urbe Sveciæ; in *Sutberlandia*, Scotiæ provincia:
in *Sudbury* oppido Angliæ: in *Sudenburgo*, Magdeburgen-
si suburbio. Forte etiam plura nomina a *Sund* incipien-
tia ex *Sud* corrupta sunt: ut eo ipsam provinciam *Sundgo-
viam*, *Sunderburgum* in Holsatia, *Sund-Rhemdam* pagum
in Thuringia retuleris. Nec minus alia a *Sur* incipientia
hos natales arguerint. In *Surlandia* regione Westpha-
liæ id certum esse reor: quippe quod procul dubio ex
Suderlandia coaluit. Sic memini pagum Ducatus Lune-
burgici hanc procul Luneburgo urbe **Surgeldersen** vo-
cari, hoc est **Sudergeldersen** / a quo hanc procul disitus
est alius pagus **Westergeidersen**. *Sudetorum* montium
nomen inde arcessit Caspar Peucerus lib. IV. *Chronici Ca-
rionis* sic scribens: *Sudetorum montium, qui hodie Bobe-
miam & Misniam determinant; denominatio est, ut situs*
Austro

austro respondens: quem Sud Germani vocant, non alieno vel absurdo etymo; quum respectu saltus Hercinii, qui in Bobemia assurgit, dimittant sese in meridiem.

XXIIX. Deniq; *Normanniam & Normannos, Norwegiam & Norwegos* plagæ Septentrionali, quam Germani *Nort* appellant, suum debere nomen, extra controversiam positum esse autumo. Hinc Aventinus in Nomenclatura illa: *Nord / Nord / Aquilo est, ac Septentrio. Nordman, Aquilonis vir. Nordmannus & Nordbec, Aquilonis vir. Norge, Nardge, Aquilonis terra.* Ipsius quoque *Norici* etymon inde repetit Philippus Melanchthon, cuius hæc sunt verba: *Est autem Etymologia Norici a Nort / id est, Septentrione, am Nort / oder Nach Arcto: lib. I. Chronici Carionis.* Et Hugo Grotius in illis Prolegomenis: *Longius sitis Europæ populis omnes qui Scanziam incolunt bono jure dicti septentrionales, id est, Germaniæ sermone Nortmanni sive Nortlendi: quomodo & Norici Alpes Noriciq; populi ab iis, qui ad Adriam colunt, nomen ex situ accepere ipsis pronunciatum Noordryck.* Huc porro referas *Nordam*, orientalis Frisiæ civitatem: *Nortburgum* in Holsatia: *Nortbusam & Nortlingam* liberæ Imperii urbes: *Nortbhemium*, aliud in Brunsvvicensi Ducatu, aliud in Hennebergicis: *Nortstrandia*, Dithemarsia portio.

XXIX. Huc accedit ipsius Oceani secundum quatuor capitales ventos divisio: *die Ost-West-Syde-und Nord-See*: itemque Frisiæ in orientalem ac occidentalem distinctio, *Ost-und West-Friesland* & in ipsa Orientali Frisia *Ostergovia & Westergovia*. Nec minus ex *Ost & West* corrupta sunt *Austrebandia & Te-strebandia*, ex *Ostervant / & Westervant*: quorum al-

terum provincia Belgii inter Scaldim & Scarpam fluvios, cujus caput Bochanium (Bouchain) alterum Comitatus: cujus Comitum haut infreqventer meminit historiâ Ultrajectina.

XXX. Sed ut ad Westphalos regrediar, observatu utiqve est dignissimum, quod illis oppositi Saxones versus orientem colentes *Ostphali* sive *Ostfali*, & *Osterlingi* fuerint dicti. Poeta anonymus *de gestis Caroli Magni* lib. I. ad annum 1000LXXV.

--- *Regionum Solis ad ortum*

Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam Ostvalos alii vocitant.

Eginhartus in Annalibus ad annum 1000LXXV. Rex (Carolus) *amne transjecto, cum parte exercitus ad Ovacrum fluvium contendit: ubi ei Hesi unus ex primoribus Saxonum, cum omnibus Ostfalais occurrens, & obsides, quos Rex imperaverat, dedit. -- Inde regresso, cum in pagum, qui Buki vocabantur, pervenisset, Angarii cum suis primoribus occurrerunt: & sicut Ostfalai, juxta quod imperavit, obsides ac sacramenta dederunt. Regino ad eundem annum interpretatur Saxones orientales. Verba Abbatis hæc sunt: Tunc Rex dividens exercitum, sumpsit secum partem, perrexitq; usq; ad Obacrum fluvium: ubi omnes orientales Saxones venientes cum Hasinone Duce eorum, dederunt obsides. --- Simul eo revertente venerunt Angarii in pagum, qui dicitur Bucki, una cum Brunone Duce eorum, & fecerunt, sicut orientales Saxones fecerant. Eginhartus ad ann. 1000LXXIX. Rex Westfalaorum regionem ingressus, omnes eos in dedicationem accepit: inde ad Wisuram veniens, castris positus in loco nomine Nudufulli, stativa per aliquot dies habuit.*

Ibi

*Ibi Angarii & Ostfalai venientes obsides dederunt. Ego-
lismensis monachus: Rex consilium iniit, ut per Torin-
giam de Orientali parte intraret super Ostfalaos. Regi-
no ad annum MCCCLXXXIV. addita aspirata Hostfalos vocat.
Ipse, inquit, (Carolus) per Thuringiam ab orientali par-
te intravit super Hostfalos. Porro filium Carolum dimi-
sit cum valida manu contra Westphalos. Eodem anno
Orientalium Saxonum meminit Eginhartus. Depopulatis
orientalium Saxonum agris, ac villis incensis de Schan-
nico (hoc enim erat nomen loci) in Franciam regressus est.
Ut & monachus Egolismensis in vita Caroli Magni:
Quia castrum Hobbuoki Albiae flumini appositum, in quo
erat Odo legatus Imperatoris, & orientalium Saxonum
praesidium, captum est a Wilzis. Capitulare Caroli M.
anno MCCXVII. Congregatis Saxonibus de diversis pagis,
tam de Westfalabis, & Anagrariis, quam de Ostfalabis
omnes unanimiter consenserunt. Ex junioribus hos Ost-
phalos agnoscit Reinerus Reineccius de origine Mife-
norum: Hoc Westphalorum nomen mansit ex veteri di-
visione, qua Saxones juxta Veserae cursum semetipsos
discriminarunt. Nam qui ab Albi ad Veseram usque con-
sedere, Ostvalos se sua lingua nominarunt, reliqui, qui
ad Rhenum usque se dilatarunt, Westphalos. Ab his Ost-
phalis procul omni dubio nomen habuit locus Ostfalaa,
ubi Ludovico obviam factus est Patris Caroli Magni nun-
cius circa annum MCCXCIX. Sic enim habet Auctor vitae
Ludovici Pii: Quod ipse agere festinans, ad Nusciam
venit, Renum ibidem transit. Patri concurrere accelera-
bat, sed antequam ad eum veniret, nuntio obiavit pa-
terno, in loco, cujus vocabulum est Ostfalaa.*

XXXI. Et hi ipsi Ostphali non dubium est, quin sint
illi

illi *Austrelendi*, sive *Austrelendi*, quorum mentionem facit monachus Egolismensis in vita Caroli Magni: Et Dominus Rex Carolus diviso exercitu suo sumpsit secum, quos voluit, & perrexit usque Obaccrum fluvium, ibique omnes *Austrelendi* Saxonum cum Assione Duce venientes dederunt obsides juxta quod placuit, & juraverunt sacramenta. Eosdem *Austrasios* vocat Auctor Annalium Francorum ab Henrico Canilio in *Antiquis Lectionibus* editus. Venerunt, inquit, *Angarii* in pago, qui dicitur *Bucki*, una cum *Brunone*, & reliquis optimatibus, & dederunt ei obsides, sicut *Austrasii*.

XXXII. Supra hos *Ostphalos* & *Westphalos*, hoc est orientales & occidentales Saxones, habemus etiam *Septentrionales*, qui *Nortludi*, sive, ut alii volunt, *Nortlindi*, dicebantur. De his Eginhartus ad annum 1339. Misit interea Carolum filium suum ad *Albim* cum parte exercitus, propter quaedam negotia cum *Wilcis* & *Abodritis* disponenda, & quosdam Saxones de *Nordludis* recipiendos. Monachus Egolismensis: In ipso Pasche tempore *Nortludi* trans *Albiam* sedentes legatos ejus occiderunt. --- *Nortludi* cum *Trasicone* Duce *Abodridorum* praelio victi sunt. Idem: Dominus Rex profectus in *Saxoniam* transiit *Hrenum* ad *Lippiam*, & in *Padabrunno* positis castris, inde Carolum filium suum cum medietate exercitus direxit ad *Sclavorum* colloquium, & ut reciperet Saxones, qui de *Nordludis* in *Bardingavium* venerant. Regino ann. 1338. *Nortludi* (in *Pistoriana* editione perperam excusum, *Nordiveli*) trans *Albiam* sedentes legatos regios comprehenderunt. Et ad annum sequentem: Rex *Saxoniam* ingressus apud *Paderbrunnam* castris positis consedit, & inde diviso exercitu,

CARO-

Carolus filium suum cum medietate ad colloquium Sciavorum, & ad recipiendos Saxones, qui ex Nortlindis venerunt, in Bardengani direxit.

XXXIII. Quia etiam hi Saxones inhabitaverunt terras, Albi proximas, *Nordalbingi*, perinde ac illorum patria *Nordalbingia*, vocabantur. Horum *Nordalbingorum* & *Nordalbingie* aliquoties meminere Adamus Bremensis, Helmoldus Bosoviensis, Albertus Stadenfis, aliique rerum Septentrionalium Scriptores. Optime igitur Petrus Lambecius in *Originibus Hamburgensibus* pag. XIV. Sita illa est (de Hamburgo loquitur) ad fauces Cimbricae Chersonesi in ultima Saxonie parte, qua ab Alberto Stadenfi *Transalbia*, ab Eginharto *Transalbiana Saxonum regio*, a plerisque vero, antiquis auctoribus *Nordalbingia* appellatur: quippe qua trans *Albim* in Septentrionem protenditur. Hac re passim in antiquis monumentis *Hamburgum* vocatur sedes & civitas *Nordalbingorum*.

XXXIV. Sic igitur, ut tandem hoc argumentum absolvamus, prima syllabarum in *Westphalia* notat terram ad occidentem sitam; uti contra *Ostphalia* ad Orientem. Consentit Andreas Althammerus in Commentario ad Taciti Germaniam: Ipsa *Westphalia*, inquit, veteris Saxonie pars sic appellata, quod occidentalis sit. Nam qui ultra *Visurgim* fluvium orientalem plagam occupant, *Ostvali* Saxones cognominantur, ab Ost vento orientali. Aetas id nominis abolevit. Sic *Vestvali*, qui citra *Visurgim* versus Occasum habitant, ab *VWest*, occiduo vento nuncupantur. Quid vetat etiam germanica quaedam adscribere ex Wigandi Gerstenbergeri Chronico Franckenbergensi? Ob nun jemand gern wissen wolte: Warum alt Sassenland zu dieser Zeit genennet wird *Westphalen* / der sol glaublich

lich wissen/ daß dasselbige Land von ersten geheissen
hat Sassenland / darnach Alt-Sassen / oder West-
Sassen / darum daß das Land nach Aufgang der
Sonnen genant wird Ost-Sassen.

XXXV. De priori syllaba in voce Westphaliæ satis, &
fortean plusquam satis. Pergimus ad alteram, quæ di-
versimode scribitur. Nam & *Westphaliam*, & *Westfaliam*,
& *Westvaliam* reperimus. Ac notandum est porro, scri-
ptores Historiæ Francorum passim *Westfalaos* pronuncia-
re, qui contracte nunc Westphali audiunt, perinde ac in
Ostphalis id paulo ante vidimus. Ita Eginhartus an-
no 1000. *Westfalaorum obsidibus acceptis ad hyeman-
dum in Franciam revertitur*: ubi Freherus in margine
notavit: *Westfalai, qui nunc Westfali*. Anno sequen-
ti Eginhartus vocat *Westhindum unum ex pri-
moribus Westfalaorum*. Idem anno 1004. Rex
*Westfalaorum regionem ingressus omnes eos in deditio-
nem accepit*. Anno 1008. Rex *audivit Saxones in
finibus Westfalaorum super fluvium Hasam congregari*.
Et ad sequentem annum: Rex *vastatis Westfalaorum
pagis venit ad Visuram*. Ac iterum: Rex *filium su-
um Carolum cum parte exercitus in Westfalaorum fini-
bus sedere iussit*. Annales Francorum Fuldenses ad
annum 1009. *Carlus junior a patre cum exercitu
in Saxoniam missus, Westfalaos in prælio superavit &
domuit*. Egoismensis monachus: *Westfalai congre-
gaverunt se ad Lippiam*.

XXXVI. Quid jam sibi velit vox *falai*, venit in con-
troversiam. Ridiculum est *Vilhelmi Hedæ Præpositi
Arnhemensis etymon*, qui *Westphalos dictos censer,*
quasi occidentales Flavos. Sic enim scribit in *Frideri-*

ci LI. Episcopi Ultrajectini historia : Anno MDCCCXCIV. potenter intrat provinciam olim VVestphalorum, sive verius, Occidentalium Flavorum : unde Longobardos produsse volunt, quorum Reges sese Flavios idcirco prænominavere. Et merito has nihili argutias in Notis ad Hedam ridet elegantissimus Ictus Arnoldus Buchelius. Sunt qui putant designare equum, vel equinum potius pullum. Certum enim est, inferioribus Saxonibus pervulgatam esse vocem en Sale / pro pullo equino, quem alibi vocant enen Sölen / & Misnenses aliiqve ein Sül- len. Vnde vero id nominis acceperint pulli apud Saxones, me ignorare fateor. Philippus tamen Camerarius in Horis subcivis Centur. II. cap. xci. a subrufo colore etymon videtur repetere. Sane, inquit, Valii equi quos olim Gotbi, & bodie Germani Balchen / a subrufo colore vocant, olim in magno pretio, & præ reliquis commendati fuerunt. Probat autem hos VVestphalici nominis natales Althammerus, ac verbis paulo ante laudatis subjicit : Et Valen, quod Saxonibus sua lingua pullum significat.

XXXVII. Sed quid pullus equinus ad VVestphalos? An dixeris hanc Saxoniam partem olim eqvas habuisse præ cæteris fertiliores? Verum tunc idem ut de Ostphalia asseras, necessum est. Quamobrem aliis placet hoc nomen referre ad equum Saxoniam veteris insigne, quem olim nigrum, sed a converso ad Christianismum VVittekindo album fuisse volunt. Albertus Krantzius Saxonie lib. II. cap. XXIV. Armorum insignia quæ militariibus (ut fit) signis præferebat, pullum equinum habebat atrum : sed placuit Regi, postquam de tenebris gentilium errorum pervenit in lucem veritatis, ut candidum acciperet. Martinus Hamconius in Frisia sua:

--- Sed equus datus ater & huic est
 Nomen avi, fortemq; notans: quem Carolus Album
 Fecit; ut e sacro VVitekindum fonte levasset.
 Confer Petri Albini Album (uti vocat) Saxonicum Ger-
 manice scriptum. Vetus utiq; tam de eqvo Saxonum insi-
 gni, quam de mutato ejus VVitikindeis temporibus co-
 lore est traditio: quam tamen utinam antiquioribus li-
 ceret confirmare testibus. At enim argumentum hu-
 jus rei non leve puto, quod equus ejusmodi tum inter
 Serenissimorum Ducum Brunswico-Luneburgensium,
 tum Archiepiscopi & Electoris Coloniensis insignia
 compareat. Isti enim illum dubio procul acceperunt
 a Cellisimis satoribus Henricis, Superbo & Leone, supra
 avitum Bojaricum Saxoniae Ducatu auctis: hi a Philip-
 po Praesule, qui post proscriptum Henricum Leonem
 VVestphaliae Ducatum sibi vendicavit. De eqvo Du-
 cum Brunswico-Luneburgensium jam pridem aliquid
 dixi in *Historia Bardewici*, meamq; sententiam ex asse-
 secutus est Jacobus Andreas Crusius in *VVitikindo*
 suo. Non aliam equi in clypeo Coloniensi originem
 agnoscit Reineccius, cujus haec sunt in libello *de Ori-
 gine Misenorum*: Quemadmodum indoctos quosdam &
 imperitos experimur, VVestphalos a Saxonibus separare:
 quod nomen hoc ab illis non usurpetur: cum tamen ex
 historiis constat, Saxonum nomen non solum Caroli Ma-
 gni aetate, sed quoq; diu post usq; ad tempora Friderici
 Barbarossa, ubi Principatum VVestphaliae & Angariae
 Coloniensis Archiepiscopus, Henrico Leoni creptum, a Sa-
 xonia avulsit; unde in hodiernum usq; diem veteris Du-
 catus Saxonici insignibus, albo nimirum eqvo utitur ---
 Westphalis quoque attributum fuisse. Confer Speneri *He-
 raldica* l. III. c. VIII.

XXXVIII. Quando autem antiqui Saxones typum equi nigri clypeis suis coeperint appingere, nondum liquido constare arbitror. Quod si tamen *Hengistus & Horstus*, quibus ducibus primum Saxones in Britanniam coloniam deduxisse feruntur, ab hoc picto equo nomen acceperunt, utique equum vetustissimum hoc gentis Saxonicae insigne esse, nemo praefracte negaverit. Hanc in rem ita differit Gobelinus Cosmodr. æt. vi. c. xxiv. *Duces exercitus illius, qui de Saxoniam in Britanniam profectus est, filii Ducis Angariae sive de Engere fuerunt: quorum unus, ut dicit Beda, vocabatur Hengist, & alter Horfa: quorum nomina quodlibet sonat lingua vulgari equum regium, egregii roboris & decoris. --- Et inde forte est, quod arma quorundam Ducum Saxoniam sunt equus albus, quoniam ab antiquo talia arma a suis progenitoribus acceperunt. Sic Petrus Albinus in Albo Saxonico: Equus antiqua familia Saxonica, quam hodie Wittikindeam appellamus, gentilitium est insigne. --- Etsi autem dynastiae vel Principatus illi, ad quos hoc vulgo refertur, in Westphalia siti, (quas terras Wittikinden familia ad tempore cum Saxones inferius ad Albim sederent, nondum in suis habuere manibus) contra opinantur tamen Viri praestantissimi, hoc ipsum insigne etiam proprium Saxonicae genti in Holsatia & Anglia (quae Jutiae finitima) olim fuisse: utpote ex quo antiqua illa nomina Hengisti & Horsti, quorum utrumque veteri Germanorum dialecto equum denotant, significationis ergo sumpserint: quodque ex Holsatia & ab oceano & Albi in Westphaliam deduxerint, ac tandem dynastiae Angariae applicuerint: ubi temporibus Christianis est immutatum. Putat nimirum Albinus, longe ante quam Saxones in Westphaliam concesserint, equino insigni usos: idque vel ex Hengisti & Horsti nominibus constare: post idem insigne fuisse Saxonum West-*

phallicorum, ac speciatim Angariæ, familiæque Wittikindeæ. In eandem sententiam Spenerus, qui & ipse ad Albinum provocat, sic scribit loco paulo ante laudato: *Equus hic Saxonum tessera fuit, vel Saxonica familia ab Hengisto & Horsto derivata.* Quæ si recte capio, hoc insigne, vel commune genti Saxonica, vel tantum familiæ inter Saxones ab Hengisto & Horsto derivatæ proprium fuisse declarant. At vero si posterius placuerit, longa utique demonstratione fuerit opus, Wittikindeam gentem, cui gentilitium fuisse volunt insigne equi, ab Hengisto & Horsto descendisse. Scio quidem quid de antiquioribus Saxonum Regibus Wittikindi majoribus alii commententur: verum quam lubrica sint illa & incerta, apprime novi, ac nescio annon gloriam illam, quam fœnerari eo ipso cupiunt illustribus familiis, haut parum obscurent.

XXXIX. Ceterum si Phali jam Ptolomæo sub nomine *Chalorum* innotuerunt, ac porro nomen Phalicum non aliam habuerit originem, quam equinum Saxonum insigne, & gentis Westphalicæ denominatio & hæc insignia longa multorum sæculorum antiquitate superbient. Num ante Conringium quis alius hujus opinionis auctor fuerit ignoro: hic certe illustris vir eandem in eleganti libello *de antiquissimo Helmstadii statu* proposuit, ac alibi eandem pluribus se confirmaturum promisit. *Phalos*, inquit, non alios videri ab illis, qui in Ptolomæi codice inter Cimbricæ Chersonesi incolas *Chali* leguntur, orta a pullo equino denominatione, qui & fuit antiquissimum iusigne gentis hujus, non minus atque illorum Saxonum, qui in Britannia Cantium incoluerunt, Hengesto & Horfa ab equino genere, itidem cognominatis Ducibus istuc deducti; altero signo illo draconis & leonis cum supervolante aquila, cujus Wittkindus memi-

meminit. non nisi in sacros usos adhibito: hoc inquam, suo loco in tempore probabitur.

XL. Elegans sane hæc est conjectura, quam utinam ante fata sua luculentius comprobasset Vir incomparabilis. Neque suis tamen illa caret scrupulis; cum non immerito dubitem, an ex illa Chalice Phalique nominis qualicunque similitudine ad Ostphaliæ Westphaliæque denominationem tuto liceat progredi. Huc accedit, quod vix invenieris nobiliores populos Germaniæ, qui ab insignibus animalium nomen suum acceperint.

XLI. Simplicius igitur etymon quæsierunt alii; & primo quidem vocem *Phal* a *Felt* corruptam censuere: sicut Ostphali & Westphali essent die Ost und West Felder: quorum scilicet terræ partim ad orientem, partim ad occidentem solem essent sitæ. Huic sententiæ adstipulatur quisquis est Chronicorum urbis Coloniensis collector, qui sæculo decimo quinto exeunte floruit, suumque opus inscripsit: Die Cronica van der Hilliger Stat von Coellen. Folio autem cxiii. b. hæc habet: Van dem Unterscheid der Sassen ind Westfeldinge. Sassenlant / als schryfft Henricus van Hervort hait sich vurmails gestreckt van der Elben bis up den Ryn. als men dat mach nemmen vyf der legende der Hilliger Ewalden. Disse vurf Lantschafft deilt eyn Wasser ind heischt die Weser die Lantschaff van der Elbe b.ß an die Weser hiesch Ostvelt. Want idt was gelegen Ostwart. Ind die Inwoner hieschen Ostveldinge off Sassen. Die ander Lantschaff van der Weser bis an den Ryn hiesch Westvelt. Ind die Inwoner hieschen Westfelding. Want dat denll landes lach Westwart. Desgelichen hait men auch hudedesdages. Eyn denll heischen



heischen Distriessen. Ein deill Westfriessen. Mer
 nu herzhit noempt men schlechtlich dat Lant tuschen der
 Weser und der Elbe Sassenlant. Ind dat Volck
 Sassen ind die gene dye wonen van der Weser ho dem
 Ryn wart die heischt men Westfeldinge. Ad hanc ety-
 mologiam vocis Westphaliæ procul dubio respicit Wer-
 nerus Rolevinck de Laer Carthusianus monachus in opu-
 sculo *de laudibus Westphalorum* cap. ii. sic scribens: *Qui-
 dam putantur quod sic dicti sint (Westphali) a quodam
 campo occiduo, sicut VVesterwalder a silva nomen traxe-
 runt.*

XLII. At hanc conjecturam quo minus approbemus,
 facit germanicum illud vocabulum *Feld*: quod nunquam
 in *Fald* degenerasse putamus. Vnde Aimoinus *de gestis
 Francorum* lib. ii. cap. xiii. diserte scribit: *Quo tempore
 Longobardi relicta Rugorum patria venerunt in campos pa-
 tentes, qui sermone barbarico Felth appellantur, manserunt-
 que ibi.* Neque etiam puto, vel terrarum vel urbium &
 oppidorum Germanicorum in *Feld* desinentium nomina
 aliam faciem induisse, sed, uti nunc, ita quoque olim habu-
 isse. Ex his nunc succurrunt *Barberfeld* / *Birckensfeld* /
Cofffeld / *Dransfeld* / *Eißfeld* / *Elfeld* / *Fürstensenfeld* /
Grabfeld / *Grunsfeld* / *Gurckfeld* / *Haselfeld* / *Hirschfeld* /
Hunfeld / *Ilfeld* / *Jpserfeld* / *Lechfeld* / *Mankfeld* / *Mas-
 feld* / *Reinfeld* / *Salfeld* / *Schönfeld* / *Swentfeld*.

XLIII. Deinde alii a voce *Wallen* / *migrare*, *pere-
 grinare*, Westphalos deducunt. Est hæc vox procul du-
 bio antiquissima, cujus etiam composita in *Wallfahrten* /
Wallbruder / aliisque deprehendimus. Superat eadem
 in lingua Anglo-Saxonica, teste Merico Casaubeno in
Commentatione de hac lingua Londini anno ciii. cl.
 edita:

edita: nec dubium est, quin inde provinciæ Anglo-Saxonicae, *Wallia*, *Cornwallia*, *Nordwallia*, *Sudwallia* nomen sint sortitæ. Ab hac voce *Wallen* *Walli* deinceps vocati sunt extranei. Sylvester Gyraldus in descriptione Cambriæ cap. VII. *Saxones* occupato regno *Britannico*, quoniam lingua sua extraneum quemlibet *Wallum* vocant, & gentes has sibi extraneas *Wallenses* vocant, & inde usq; in hodiernum barbara nuncupatione & homines *Wallenses* & terra *Wallia* vocitatur. Franciscus Junius in *Observationibus ad Willeramii Paraphrasin Cantici Canticorum* pag. ccxxxii. *Wael* / *Wale* / *Peregrinus*, alienigena. A. S. (Anglo-Sax.) *peabl*, *peabl*. Hugo Grotius in *Glossario Nominum Gotthicorum, Vandalicorum & Langobardicorum* scriptoribus *Historiæ Goth. &c.* juncto: *Waal*, *peregrinus*, & inde pro falso, ut in *annalibus Francicis* *Walamer*, falsus princeps. Idem tamen vocem *Wallen* ex *Wandeln* / & porro *Valones* ex *Wandalis* contracta censet. Idem, inquit, *sensus in Gallis*, quos *Walones* Germani pronuntiabant, contracto ex *Wandalis* vocabulo. Nam quod alii *Wandalen*, id alii elisis literis durioribus *Valen* dicunt: id autem est *vagari*. Ac credo inde etiam *Wallonum* sive *Valonum* nomen tractum. Nam quod nonnemo *Wallones* dictos primum putat *Ovalones*; quod Galli orbem terrarum peragrantes, mutuo interrogantes quæsierint *Ou allons Nous*, id est, *Quoniam proficiscimur?* id nimis longe petitum esse existimo. Probant autem hoc *Vestphalorum* etymon *David Chytræus* *Oratione de Westphalia*, *Arnoldus Buchelius* in *Notis ad Hedæ Episcopos Ultrajectinos*. An vero *Pbali* olim socios significaverint, & inde tam *Ost-*

E

phali

phali quam *Westphali* nomen acceperint, non immerito ambigo: nec alium hujus etymi auctorem habeo, quam *Wernerum Rolevincium*, cujus verba ex laudato libello adscribo: *Alii dicunt, quod Pbalos olim, idem quod socius dicebatur, & sic Saxones, qui erant ultra Weseram, dicebantur Ostphali, qui citra Westphali, & secundum tales erat nomen antiquum.*

XLIV. Quid si vero diceremus, *VWestphaliae* nomen ex *VWest-Waldia* fuisse natum? Certe *Tacitus* testatur, *Germaniam* olim *sylvis* fuisse horridam; & *Livius* nil nisi *sylvam solitudinemque* in ea agnovit. *Mela* quoque *Germaniam magna ex parte sylvis, inviam* tradidit. Quæ quin ad *VWestphaliam* æque ac *Ostphaliam* commode possint referri, nullus dubito. Horridior nimirum harum terrarum atque incultior fuit facies, ob sylvarum frequentiam: ut facile exinde nomen accipere potuerint, & fortean acceperint: præsertim quia non insolens fuit Germanis nostris, & provinciis & urbibus nomina a sylvis imponere. Ex his nunc succurrunt sequentia: *Griephswald / Finsterwald / Freyenwald / Fürstenwald / Lichtenwald / Liebenwald / Rügenwald / Sonnenwald / Weststerwald.*

XLV. Quando autem *VWestphaliae* nomen fuerit natum, perinde ac infinita hujus generis alia, incertum esse arbitror. Si quid tamen dandum conjecturis, vix ante Francorum cum Saxonibus bella innotuisse crediderim. Et forte ab his ipsis Francis si non *Phalorum*, sive, ut nos conjicimus, *VValdorum* acceperunt nomen, sed jam ante id habuere, *Westphali* tamen fueri appellati; cum illa ipsa provinciarum se-

cul-

cundum plagas distinctio illo aeo quam maxime recepta fuerit ac frequentata. Si quis tamen contrarium liquido demonstraverit, non pedibus, quod ajunt, sed toto animo in ejus sententiam concedemus. Rolevincius paulo ante laudatus Westphalos quoque tempore Caroli M. hoc nominis accepisse putat: sed natales nominis simul affert valde ridiculos. Primum advertendum est, inquit, quod gens ista a principio non fuit hoc vocabulo nuncupata, sed postquam Carolus Magnus eos ad fidem convertit, hoc nomen sibi assumpserunt, quasi in distinctionem ab aliis Saxonibus, cum quibus in paganismis eodem nomine nuncupabantur. Quia ergo ipsi primo ad fidem venerunt, & Saxones Orientales adhuc graviter bellabant contra Principem sanctum, quasi gloriantes de sua conversione, se Westphalos, id est Westfideles nominare maluerunt. Gobelinus quoque Persona Cosmodromii aetate 1. cap. v. Westphaliam demum aetate Caroli M. sic dictam censet, sed Westphalos interpretatur nutantes aut dubitantes. Ipsa viri verba repetemus: Westphalia pars Saxonie a Westphalis inhabitatoribus ipsius dicta. Unde Westphali interpretantur occidentales nutantes seu dubitantes. Cum enim Carolus M. Rex Francorum Saxones subegit fidei Christianae gladio, Christi fidem susceptam saepe dimiserunt: & quia isti Westphali versus occidentalem partem Saxonie siti sunt, & occidentis eorum lingua West dicitur, cumque ipsi primum inter ceteros Saxones fidem Christianam receperint, postea maluerunt Westphali, quam Saxones appellari: maxime ad hoc auxilium praestante privilegio, quod Karolus concessit eisdem: quoniam intra patriam eorum duntaxat certa loca privilegiavit pro fidei defensione.


XLVI. Atque hæc sunt, quæ de nomine VVestphaliæ in mentem nobis venerunt. Quibus tamen addideris, quod hoc ipsum vocabulum quandoque paulo strictius usurpari cœperit, pro certo VVestphaliæ terræ tractu, sed tamen cum addita voce *pagi*. Meminere hujus pagi Auctor vitæ S. Auctoris Trevirensis, itemque Auctor vitæ Meinverci, uterque a Meibomio in *de Pagis Saxonie* laudatus. Venit etiam in manus meas diploma quoddam Ottonis III. anno ciii. dati, in quo hæc habentur verba: *In pago VVestfaliæ in Comitatu Henrici Comitis.* Ne quis autem putet, pagum VVestphaliæ in his aliisque scriptis pro integra sumi VVestphalia, notet velim, VVestphalam olim in plures pagos fuisse divisam. Patet id ex Eginharti Annalibus ad ann. 1000. Cum primum, inquit, oportunitas temporis advenit, ad reliquias belli Saxonici conficiendas, Rex animo intento cum exercitu in loco, qui Lippia vocatur, Rhenum trajecit, & vastatis VVestfalaorum pagis, venit ad VVifuram. In his VVestphaliæ pagis fuisse Pagus Angeri, amplissimus sane, quique Susatum, Hervordiam, Mindam, Lemgoviam, Hamelam complectebatur: Pagus Auga, in quo erat villa Huxere, quæ urbs nunc Hoxter audit: Pagus Bocensis, sive Bucki, in dioecesi Paderbornensi: Pagus Dragim, quem Dreini vocat Poeta Anonymus in vita Caroli M. Pagus Effega, in quo forte tractus circa oppidum Essen Parthenone illustri nobile: Pagus Patherga, quem nomen accepisse putant a Paderæ fontibus saluberrimis.

F I N I S.

Ad



*Doctissimum Dn RE-
SPONDENTEM.*

 Vm apud animum consti-
tuisses in habenda disputa-
tione publica meo ductu
uti, atqve præsidio, neqve displicu-
isset argumentum ex historia pa-
tria, in Antiquitates quasdam West-
phalicas inquirere decreveram. Pri-
us tamen id quam facerem, ipsius
Westphalici nominis natales rima-
ri, cupido me incessit: præsertim,
quia multis experimentis didice-
ram, quam hæc ipsa priorum
nominum consideratio in multa-
rum præclarissimarum rerum inti-
miorem cognitionem nos soleat

deducere. At enim dum hoc ago sollicitius, ac in ipso Westphaliæ etymo Austrasiæ ac Neustriæ me distinet denominatio, ac porro alia occurrunt propositum meum illustrantia; sub manibus crescit dissertatio, sic ut in hoc ipso nomine acquiescere, quæque ad Antiquitatum Westphalicarum disquisitionem pertinent, in aliud tempus opus habeam differre. Tibi vero, Ornatissime Juvenis, ex animi sententia gratulor, quod ex quo Gymnasium patrium celebresque ejus doctores reliquisti, & in hanc te contulisti Academiam, ita te per integrum, & quod excurrit, triennium gesseris, ut tam florentissimis

con-

conjunctissimisqve Collegis meis,
 quam mihi vitæ studiorumqve tuo-
 rum rationem probaveris. Possem
 plures probitatis & industriæ tuæ
 testes, & in his Clar. Juvenem, M.
 Hermannum ab Haart, Osnabru-
 gensem, (quem ob insignem pieta-
 tem, compositos mores, ac solidam
 doctrinam æstimo ac diligo,) lau-
 dare, si vel hæc scriptiuncula, vel
 tua id permetterent modestia.

Perge autem, mi Thöni, qua
 cœpisti via, nec dubita, quin, quam
 alii tuorum civium, ac non ita pri-
 dem Cl. Johannes Goswinus Fri-
 derici, Amicus meus singularis, ex-
 perti sunt, fortunam, tu quoque pro
 meritis sis sensurus. Quod tempus
 quan-



quando adventaverit, ut ad ampli-
 candam divinam gloriam, bona-
 rumque literarum, quæ curæ tibi
 sunt cordique, incrementum con-
 vertas; interea vero optime vale-
 as, tuisque studiis feliciter invigiles,
 Deum Opt. Max. *ὁλοκαρδίως* precor.
 Scribebam Jenæ IX. die Maji anno
 CIO IDC LXXXVI.

T.

omni studio

CASPAR SAGITTARIUS D.



Pou Tu 3713, QK

ULB Halle 3
003 943 984



VDA7






1180

tum occ
 mutuata
 prorsus
 VI
 quatuor
 majores
 re, & e
 mina im
 per tem
 adhuc se
 docet ex
 ipsum co
 VI
 illud no
 xisse cer
 rovingi
 ita voca
 claruit.
 V
 te ad a
 gnum r
 illud ol
 unde tr
 rant.
 rent, q
copolite
 mentat
 tantum
 nomini
 mus, e
 foenera

, & a Græcis
 solent, nulli
 s nostris, juxta
 es ventos, tum
 spacia divide-
 rovinciis no-
 et nonnulla
 e tamen plura
 erum magistra
 exemplis hoc
 on, quæ hodie
 n fonte id flu-
 corum ex Me-
 rum Regum,
 ne magis in-
 ostra hac æta-
 i *Austrasia* re-
 tamen quale
 limitibus, &
 risimis igno-
 m cura lege-
 I.G.C.D. *Fran-*
Austrasiæ com-
 nolimus, ita
 natales hujus
 nem inqvire-
 iqvam lucem

IX. Au



Kodak
 LICENSED PRODUCT
 3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Inches

Centimetres

